

licitum quod regulatur per prudentiam, quæ est regula omnis actus boni, et virtuosus. Ergo omne illud erit tutum quod regulatur per opinionem practice probabilem, quia illud practice, quod est prudentiale, et hoc sive sit magis, vel minus, vel æque probabile, dummodo vere probabile, et prudentiale sit; sicut enim potest aliquid esse magis, vel minus prudens, nec oportet semper sequi quod prudentissimum est, ita potest esse magis, vel minus probabile practice, nec oportet sequi quod probabilissimum est.

LII. E contra vero, non potest esse tutum, quod prudentiale non est, quia sine prudentia non datur regula virtuosus, et boni actus, ergo ubi non est opinio probabilis practice, seu prudens non est tuta, quia non est prudentialis, licet speculative sit probabilis, aut defensibilis. Oportet enim juxta D. Thomam supra allegatum, quod quando sunt contrariæ opiniones, non judicatur aliquis in dubitationem ad hoc ut operetur, non committendo se periculo. Quando autem ex aliqua opinione ita aliquis operatur, quod componit prudentiale dictamen, non committit se periculo, nec in dubitationem practicam, seu prudentialem inducitur.

LIII. Quod autem sit, quod determinat judicium inter duas opiniones æque probabiles, dico quod potest esse, vel aliqua inclinatio et affectus voluntatis erga unam potius, quam erga aliam opinionem, vel aliqua major utilitas, aut commoditas, aut aliquid aliud simile, quod de novo repræsentatur, et movet intellectum, ut se determinet in judicio pratico, licet extrinsecum sit tale motivum. Nec est simile de eo qui est dubius practice, et de eo qui habet sententias æque probabiles, quia qui est dubius practice, ideo est quia sufficiens fundamentum, et

motiva non habet ut formet prudens dictamen determinate, et ideo fluctuat, et timide se habet, et quasi in suspensio hæret, et ita si operatur, committit se periculo; ut S. Thomas dicit, utpote operans cum dubitatione, et hæsitatione practica prudentiali. At vero qui habet opiniones probabiles, habet sufficientia motiva, ut ex qualibet illarum formet dictamen prudens, et se possit determinare practice modo prudenti. Unde non est dubius practice, quomodocumque utatur illis sententiis, potestque ad se determinandum uti extrinsecis motivis, non addentibus, vel tollentibus probabilitatem practicam, sed tollentibus, et determinantibus indifferentiam ad utendum potius ista, quam illa opinione intra limites probabilitatis.

ARTICULUS IV.

Quæ conscientia sit deponenda, et reformanda, et quomodo?

I. Conscientia deponenda, ut supra diximus, est triplex, dubia, scrupulosa, erronea, de quibus, et de modo deponendi illas agendum est, tum generaliter, tum sigillatim, et in particulari.

DUO SUPPONENDA.

II. Antequam tradamus principia, quibus utendum est ad deponendam conscientiam, duo oportet supponere. Primum, quod conscientia tunc est deponenda, et reformanda, quando tali depositione cognoscitur esse digna, scilicet, quod cognoscatur esse erronea, aut scrupulosa, etc. nec posse juxta illam operari. Nam si quis invincibiliter erret, non obligatur deponere talem conscientiam quamdiu sic erratur invincibiliter,

sed obligatio deponendi tunc incipit, quando quis advertit errorem, seu dubium, aut periculum talis conscientia, aut opinionis, quia stante periculo pratico est imprudentia, et temeritas committere se ad opus, semper enim peccatum est periculose operari, juxta illud Ecclesiastici: *Qui amat periculum peribit in illo.*

III. Secundo, supponendum est quod nulla conscientia, seu dictamen deponi debet, sine aliqua ratione, vel generali, sicut nimium scrupulosi sola generali ratione reformari debent, quia sine fundamento, et sola apprehensione plerumque dubitant, nec cum illis expedit in particulari plures disputationes protrahere; vel etiam speciali ratione destruendo dubitationem quam in tali materia habent. Pro sola autem voluntate, et libito operantis non debet deponi, aut reformari conscientia, ut communiter tenent theologi, soletque in hoc taxari Cajetanus, qui in hac quæstione XIX, arc. V dixit, quod ex quacumque causa deponatur conscientia dubia, sive ex libito, sive ex passione, satis est ut sit tutum et licitum, et ponit exemplum in femina, quæ audit a concionatore, verbi gratia, esse peccatum uti capillis alienis, et nescit solvere ejus rationes; si tamen sibi persuadeat etiam sine nova ratione non esse certum id quod concionator dixit, et continuet uti capillis alienis, non peccabit.

IV. Cæterum, hoc nullo modo tenendum est, sed pro certo supponendum, quod ad deponendam conscientiam dubiam, requiritur ratio aliqua practica, quæ dubitationem illam resolvat, quia sine ratione impossibile est formare dictamen prudentiale, cum tota ratio prudentia in ratione consistat, et in ipsorum mediorum adæquatione cum fine, quod sine ratione fieri non po-

test. Cajetanus autem loquitur in casu, quo illa mulier judicat rem illam esse minimam, aut non serio esse dictam a concionatore, sed per exaggerationem (ut plurimi solent) et ita hoc ipso utitur ratione ad deponendum illud dubium, quia resolvit ipsum, practice judicando esse quid minimum, et extra limites illiciti, et ad summum esse aliquem scrupulum impertinentem, et morosum, et sic deponi debere ex sola generali ratione, qua similes scrupuli ratione peculiari, aut disputatione deponuntur. Quare stante vero dubio, et non resoluta, vel reducto ad rationem rei minimæ, oportet non pro libito, vel sine ratione illud deponere, sed ex aliquo rationabili fundamento, vel ex proprio consilio si vir intelligens, et peritus sit, vel ex alieno, si non sit per se sufficiens; et hoc magis, vel minus, prout negotii qualitas postulerit.

QUIBUS PRINCIPIIS UTENDUM EST PRO DEPONENDA CONSCIENTIA.

V. Tria præcipua principia ex jure colliguntur pro deponenda dubia conscientia, seu dubitatione practica conscientia resolvenda. Primum est: In dubiis melior est conditio possidentis: Secundum: In dubiis tutior pars est eligenda: tertium: Ex duobus malis minus est eligendum. Ad hæc principia reducuntur alia, quæ in jure habentur, præsertim titulo de regulis juris in sexto, verbi gratia: In obscuris reo potius favendum est quam actori; quod ideo est quia reus est possessor, qui ab actore impetitur, et solum se defendit: item: In obscuris minimum est obsequendum; hoc est minus malum est eligendum: item: In obscuris inspicimus id quod verisi-

milius est, vel plerumque fieri consuevit; quod ideo est, quia tutior pars est eligenda.

VI. Pro explicatione primæ regulæ, ad quam fere aliæ reducuntur, illique innituntur, est advertendum primo quid sit possessio, et quid requiratur ad conditionem possidentis. Dicitur enim possessio: Rei corporalis detentio juris adminiculo suffulta. Nec sufficit detineret rem aliquam apud se, nisi jure seu justo titulo fulciatur, quia ut bene notat Sylvester verbo possessio, sine jure non est possessio, sed iniqua detentio. Unde dicitur in jure: Quod pro possessore habetur, quia dolo desiit possidere, regula xxxvi de regulis juris in sexto. Jus autem hoc oritur ex aliquo titulo, quo talis possessio habetur, quia ille jure possidet, qui titulo aliquo possidet. Qui vero dubitat de hoc titulo, seu de hoc jure, et pulsat animum ejus discretum, et practicum dubium de hac re, mala fide possidet, nisi sufficientem fecerit diligentiam ad tollendum dubium. Unde manente dubio practico, non possidet juris adminiculo, sed se habet ut possessor malæ fidei. Soluta vero dubio practice, id est, postquam fecerit sufficientem diligentiam, etiam si speculative incertus sit, non obest, quia jam bona fine procedit, qui in discussione dubii fecit diligentiam quam potuit, ut veritatem tituli inveniret. Et quia humano modo, et non aliter debet de hoc certificari, quantumcumque remaneat aliqua incertitudo, vel dubietas de re ipsa, possessio suffragatur tali dubio, quia bonæ fidei est. Itaque ut aliquis dicatur habere conditionem, seu qualitatem legitimam possidentis, duo illa debent concurrere, scilicet detentio rei, quia scilicet res penes ipsum sit, et bona fides, seu quod absit dolus; quæ bona fides oritur ex aliquo titulo, quo habetur pos-

sessio. Titulus autem si non sit firmus, sed dubius, dubitatione discreta, non parit bonam fidem, nisi discutiatur faciendo sufficientem diligentiam ad vincendum dubium.

VII. Secundo, est advertendum controversi inter auctores, an ista regula de possessore bonæ fidei restringatur ad solam materiam eorum honorum, quæ possidentur, et ad materiam justitiæ pertinent; an vero extendi possit ad quamcumque materiam virtutis alterius. Nam multi tenent solum hanc regulam procedere in materia justitiæ, eo quod possessio solum est de rebus quarum proprietas, et dominium haberi potest, et quibus jure non possumus spoliari: hoc autem pertinet ad materiam justitiæ, quæ unicuique tribuit jus suum, ergo ubi verum jus non intercedit, nec vera possessio datur, et sic in eo non procedit dicta regula, quæ de vera possessione loquitur. Vera autem possessio facti, aut supponit jus, quia fundatur in titulo legitimo fundante possessionem, jus autem est materia, et objectum justitiæ. Unde prædicta regula solum in materia justitiæ procedit. Et ita tenent hanc partem Vazquez hic disp. LXV, cap. III, et disp. LXVI, cap. I; Azor tomo I, lib. II, cap. XVIII, quæst. IV, et lib. XI, cap. XV, quæst. II; Ludovicus de Torres in opusculis theologice, opuse. de conscientia dubia, disp. I, dub. I et sequentibus; Sayrus in clavi regia, lib. I, cap. XIII, numer. IX et XXXVI, et alii plures.

VIII. Oppositum tamen defendunt plures, et graves auctores, qui illud axioma explicant universaliter in omni materia virtutum, et non in sola materia justitiæ stricte dictæ. Ita docet Sanchez lib. II de matrimonio, disp. XLI, numer. XXXII, et in summa toto primo, lib. I, cap. X, numer. XI; Suarez tom. V de censuris, disp. XL, sect. V, num. XVIII et tom. II,

de religione, lib. IV de voto, cap. V, numer. VII; Henriquez lib. VIII, cap. III; in glossa, littera P; Malderus 1-2, quæst. XIX, art. V. disp. LXXXVII; Villalobos in summa, tom. I, tract. I, diffie. XXI, num. I, et alii plures, quos citat et sequitur Diana tom. IV, tract. III, resolut. II. Et hæc sententia verior videtur, quod non solum in justitia stricte dicta, et in jure stricte sumpto, sed etiam in religione, et observantia, et fortitudine, et temperantia, aliisque virtutibus locum habere potest prædicta regula.

IX. Et ratio est, quia in quacumque materia alterius virtutis, et non solum in materia justitiæ intervenire potest aliqua obligatio faciendi hoc vel illud, quia potest intervenire præceptum, aut promissio, vel aliquid simile, ergo etiam potest intervenire jus faciendi, seu implendi, vel non implendi talem obligationem. Ergo ubi fuerit dubium de eo cui competat, vel non competat tale jus, debemus inspicere possessionem, quia hoc jus ad aliquem pertinere debet, et illa pertinentia quædam possessio est, et sic pro eo judicari debet ad quem tale jus pertinet, quod est possessionem attendere pro judicanda tali parte. Unde si dubium sit cui parti sit judicandum, necesse est quod talis possessio magis ponderet, et pro ea parte judicium faciat, eo quod si est possessio, non debet quis spoliari illa propter solum dubium. Ergo si in aliis materiis præter materiam justitiæ habet locum possessio sicut et jus, et præceptum, et obligatio, etiam habebit locum, quod non spoliatur quis possessione propter solum dubium, et sic in dubio melior sit possidentis conditio.

X. Nec fundamentum oppositum aliquid evincit; fatemur enim quod possessio fundatur in aliquo jure, seu titulo, quo aliquid facimus nos-

trum, aut appropriamus nobis. Negamus tamen hoc jus, seu titulum restringi solum ad materiam justitiæ stricte, et proprie dictæ, sed pro omni materia virtutum extendi, eo quod voluntas possessionem suæ libertatis, et indifferentiæ habet ad quemcumque actum virtutis, et in eo capax est præcepti, et obligationis, atque adeo potest in eo esse dubium pro possessione, vel contra possessionem hujus libertatis, vel hujus obligationis, licet talis materia non sit justitiæ strictæ, et rigorosæ fundatæ in contractu, vel quasi contractu, aut aliqua ratione contrapassi, quæ est materia justitiæ rigorosæ, sed quæcumque alia materia virtutis potest sufficientem titulum, et jus præbere ad dictam possessionem propriæ libertatis, sicut et præcepti, et obligationis, et in dubiis circa illam melior erit conditio possidentis.

XI. Supposito ergo quod istud principium, seu regula de conditioe possidentis extenditur ad omnem materiam ad quam extenditur operatio, et jus voluntatis, quæ possessionem suæ libertatis habet pro omni materia virtutis, et in ea etiam capax est obligationis et præcepti, juxta prædictam regulam explicavimus, et ad illam reducimus secundam illam regulam, quod: In dubiis tutior pars est eligenda, in quo aliqui volunt hanc regulam solum continere consilium, non præceptum: sufficit enim pro conscientia salvanda sequi quod tutum et probabile, et bonum est, non quod tutius, melius, aut probabilius. Et ita tenent Suarez tomo V de censuris, disput. XL, sect. VI, numer. IX; Malderus 1-2, quæst. XIX, artic. V, disput. LXXXVII; Moura de incantationibus, opusculo I, sect. I, cap. V, num. II. Alii existimant regulam hanc procedere quando exprimitur in jure de aliquo speciali casu, quod

Naldo, et Viguerio tribuit Diana ubi supra, resolutione tertia: sed neutri videntur satisfacere. Non primi, quia si solum est consilium, et non præceptum sequi id quod tutius est, non solum illa regula tenet in dubiis, sed etiam in certis, semper enim est optimum consilium sequi quod tutius est, ut verbi gratia comedere carnes in die quo licet, et abstinere a carnibus, hoc secundum est tutius consilium, licet utrumque sit tutum. Quare cum hoc tradatur tamquam remedium quoddam pro dubiis conscientiis sedandis, et componendis, non debet intelligi, quod solum continet consilium, sed etiam præceptum, quia dubiam conscientiam reformare, et deponere, non solum est consilium, sed etiam præceptum, cum stante dubia conscientia non possimus operari: ergo si pro reformanda, et componenda, vel deponenda dubia conscientia servit illa regula, utique non continet solum consilium, sed etiam præceptum. Sedatio enim conscientiae non requirit, ut fiat quod melius, et tutius est, sed sufficit id quod bonum, et tutum. Non secundi, quia illa regula traditur in jure tamquam universalis, et quasi remedium pro conscientia dubia deponenda, quia id debemus facere quando dubia occurrunt, nec restringitur id ad determinatum casum, sed absolute ponitur; sic enim traditur hæc regula in capite Juvenis, de sponsalibus, et indicatur in capite Si quis autem, dist. VII de pœnitentia, ubi dicitur: Tene certum, et dimitte incertum.

XII. Quare illa regula: In dubiis tutior pars sequenda est, non accipit tutiorem partem comparative ad aliam, quæ etiam sit tuta; sed adversative ad aliam quæ est dubia, ita quod non utraque pars accipiat ut tuta, et in illis tutior, seu se-

curior eligatur, sic enim ad consilium, et non ad præceptum pertinet tutiorem eligere, quia non restringimur meliorem sequi, quando altera est bona. Debet ergo regula illa procedere in partibus dubiis, vel altera parte existente dubia, et tunc relinquere partem dubiam, id est, non tutam, et tutiorem eligere, non est consilium, sed simpliciter necessarium.

XIII. Sic ergo existente dubio, tenetur quis tutiorem partem eligere, id est, dubitationem vincere, seu sequi partem non dubiam. Quod duobus modis fieri potest, vel existente dubio pro una parte tantum, illam relinquere, et aliam sequi, in qua dubium non apparet: vel dubitationem ipsam vincere, pro illa parte qua dubitatio pulsatur; quod si pro utraque parte dubitatio sit, pro aliqua debet superari, et superata dubitatione pars tutior eligitur, quia cum bona fide, et sine dolo proceditur. Et sic reducitur ista regula ad priorem de meliore conditione possidentis, illa enim dicitur tutior pars respectu partis dubiæ, quæ dubitationem vincit, et tunc vincitur tutior, quando fit sufficiens diligentia pro dubio certificando, et tollendo, hac enim diligentia facta, (etiam si in re non possit certificari, quia non potest alia diligentia fieri) procedit quis bona fide, et sine dolo, et sic possidet debite, et recte, utiturque jure suo, et omne jus suum quædam possessio est. Unde idem est tutiorem partem sequi contra partem dubiam, ac sequi conditionem possidentis, seu justæ possessionis, facta sufficienti diligentia; quia justa possessio facit jus, et ubi est jus, tute potest quis illo uti, et talis pars tuta est sequenda.

XIV. Tertium principium, quo uti debemus ad reformandam, et deponendam conscientiam dubiam

est, quod: Ex duobus malis, minus est eligendum, quando videlicet in utraque parte occurrente, aliquid inconvenientiæ repetitur, et urget necessitas, vel casus utendi aliquo illorum malorum, ita quod vel jure proprio, vel necessitate propria ad id ducitur. Si enim sola voluntate, et arbitrio quis operatur, potestque facile cessare, non currit casus eligendi minus malum, sed nullum malum debet eligere. Quando autem aliqua urgens necessitas, et jus proprium occurrit faciendi aliquid, hoc ipso illud est minus malum præ alio, imo non est malum culpæ pro tali casu, quia non est peccatum in eo quod fit utendo jure proprio, quia si esset peccatum, cessaret tale jus, nullum enim jus esse potest ad id quod est peccatum. Unde fit quod etiam ista regula reduci debet ad priorem de meliori conditione possidentis, quia ubi intervenit proprium jus utendi re aliqua, etiam intervenire debet possessio talis juris, quia proprium jus est, et proprietas non est sine possessione.

XV. Ex qua doctrina colligitur verum esse, quod supra diximus articulo præcedenti, videlicet hoc axioma: Ex duobus malis, minus est eligendum, non procedere in malis culpæ, sed damni, seu pœnæ. Quod intelligitur in sensu formali, quod videlicet ex duobus malis culpæ manentibus in statu peccati, et culpæ, neutrum est eligendum, si enim in ratione culpæ manent, in utroque peccatur, tam in minori, quam in majori; ergo neutrum licet, quia quod peccatum est, illicitum manet. Si autem neutrum licet, ergo in dubiis non potest eligi id quod minus est, quia etsi minus, tamen vere peccatum est, ergo non est licitum.

XVI. Nec obstat, quod potest quis consulere alteri, ut faciat quod minus peccatum est, verbi gratia quod

non occidat, sed solum percutiat: si autem licet consulere, et cooperari, licet facere.

XVII. Respondetur enim, quod absolute non licet consulere alteri minus peccatum, sicut nec majus, sed ex suppositione quod omnino aliquis firmatus sit occidere, vel majus peccatum facere, licitum est dissuadere illud majus proponendo illud minus, non ad illud inclinando, sed ut minori peccato sit contentus suadendo, tunc enim non suadetur peccatum minus, ut malum, sed ut minorativum majoris, et in beneficium proximi. Quare si occurrunt duo mala, et urget necessitas, vel habeo jus utendi aliqua actione, jam pro tali casu electio minoris mali, non est electio illicita, aut rei illicitæ, quia cessat tunc ratio mali hoc ipso quod jure aliquo utor, et necessitas ipsa urget, quæ casum mutare solet. Et hoc ipso quod res illa non remanet illicita pro tali casu, habeo jus utendi illa, et melior est conditio sic possidentis jus.

XVIII. Sed inquires, an currat ista regula, et præcedens tam in dubio facti, quam in dubio juris, videtur enim ex una parte diverso modo debere nos loqui de uno dubio, atque de alio. Nam stante dubio juris, verbi gratia si est dubium an detur præceptum; an emiserim votum, non teneor tali præcepto, aut voto, quia dubium est de ipso jure. Si autem sum certus de præcepto, vel de voto, sed dubito de ipso facto, expono me periculo frangendi præceptum, et non debeo operari. Ex alia vero parte videtur utrumque dubium parificari, quia vel facta est sufficiens diligentia posito dubio, vel non. Si non est facta, neque in dubio juris, neque in dubio facti possum operari, quia si non facio quod possum, ut dubitationem evincam, culpabilis sum. Si est facta sufficiens diligentia, ut dubium evincam,

sive sit dubium juris, sive facti, operari possum, quia non debeo esse perplexus; si enim sum dubius de voto, quod est dubium juris, et facio diligentiam pro tollenda dubitatione, non teneor voto. Si sum dubius, an aliquid sit homo vel fera, et feci sufficientem diligentiam, possum jaculari, et tamen est dubium facti, ergo pari passu currunt.

XIX. Respondetur tamen ex dictis, quod in utroque dubio, tam juris, quam facti, necesse est ad hoc ut licite operari possimus prius facere sufficientem diligentiam, ut possit dubitatio tolli, et non exponamus nos periculo; si enim dubito de voto, de matrimonio, de præcepto, aut prohibitione superioris, prius teneor diligentiam facere, ut dubitationem tollam quantum fuerit possibile. Et similiter si sum certus de jure, seu præcepto, dubito autem de ipsa actione, seu materia, an sit, vel non sit inclusa sub tali præcepto, ut cum dubito, an sit homo, vel fera id in quod jaculandum est; an fecerim, vel non fecerim homicidium, et irregularis sim, teneor facere diligentiam ad vincendam dubitationem, ne periculo me exponam. Est tamen differentia, quod dubium facti ex sua propria natura, non potest assecurare conscientiam, etiam facta sufficienti diligentia, nisi vel evidenter tollatur dubitatio, vel necessitas aliqua magna intercedat, aut proprio jure utendum mihi sit, cujus usu non debeo impediri, aut tali jure spoliari propter istud dubium. At vero posito dubio juris, seu obligationis, et præcepti erga me, si facio sufficientem diligentiam, etiam si non evacuetur, et certificetur totaliter dubitatio, non teneor operari contra me, eo quod utor jure meo, et possessione libertatis, qua non possum spoliari ex solo dubio. Et sic in ipso dubio juris ex natura sua involvitur jus proprium, seu possessio

juxta quam possum operari facta sufficienti diligentia. In dubio autem facti, etiam post sufficientem diligentiam, non possum uti (si dubium non evacuetur) nisi vel urgeat necessitas, vel interveniat jus proprium, quo uti possum: ut verbi gratia, si dubito, an aliquid sit homo, vel fera, et volo jaculari, facioque sufficientem diligentiam, et tamen adhuc manet dubium, an sit homo, vel fera, non possum jaculari, quia non instat aliqua gravis necessitas, nec aliquod speciale jus habeo in illam feram, vel hominem ad ejaculandum, et alias expono me periculo occidendi.

XX. Et similiter si sim dubius an fecerim homicidium debeo tutiorem partem eligere, id est, pro irregulari me gerere, ut decernitur in capite Ad audientiam de homicidio; tum, antequam faciam sufficientem diligentiam, quia tunc dubitatio operatur, nec sinit prudentiale formari judicium; tum, post factam sufficientem diligentiam, si adhuc remanet dubium, cum illud sit dubium facti, id est, an fecerim, vel non fecerim homicidium, non de ipso jure, et alias non sit urgens necessitas, aut speciale jus ad suscipiendum, vel exercendum ordines, optime decedit pontifex, quod gerat se pro irregulari.

XXI. E contra vero si facio aliquod opus, in quo est periculum effusionis seminis, vel abortus, etc. et est opus, seu actio ad quam habeo jus, vel necessitas urget, verbi gratia, quia periclitatur salus feminæ nisi sumat potum unde sequetur abortus, vel instat necessitas audiendi confessionem aut equitandi, aut inspiciendi pro medicatione membra corporis, ex quibus actionibus sequetur pollutio, possum illas exequi, licet sequatur, quia utor jure meo, vel urgente necessitate operor, licet per accidens sequatur ille effectus;

quod tamen deberem evitare si talis necessitas non intercederet.

XXII. Quanta autem, et qualis diligentia fieri debeat ut quis securus sit, et exercere licite possit actionem dubiam, respondetur de hoc non posse unicam regulam tradi pro omnibus actionibus, sed prudentialem, et arbitrariam juxta arbitrium boni viri. Debet ergo attendi qualitas, seu gravitas materiæ, ejusque difficultas, et dum suppetunt media, et dispositiones nostræ facultati possibles, ut dubium executi possit, illa debemus adhibere, sive per nos, sive per alios, quos consulere, et a quibus inquirere, aut quorum adjutorio uti possimus. Si vero talia media jam non suppetant, nec sub nostra facultate cadant, sufficientem diligentiam fecisse censendum est. Quod si dubitem, an omnia media sint adhibita pro tali diligentia facienda juxta qualitatem materiæ, et meam facultatem, consulere debeo viros in ea arte peritos, et cordatos, et juxta illorum consilium acquiescere, vel operari.

DEPOSITIO CONSCIENTIÆ DUBIÆ, SCRUPULOSÆ, ERRONEÆ.

XXIII. Ex his principiis, et juxta illa procedendum est in dispositione, seu reformatione conscientie dubiæ. Nam proposito dubio circa aliquam materiam an sit licita, vel illicita, sive dubitatio sit ex parte facti, sive ex parte juris, primo, faciendâ est diligentia, quæ moraliter sit possibilis juxta gravitatem materiæ, et meam possibilitatem, vel facultatem, ut dubium illud possit evinci: secundo, si vincitur, et liquido constat quid sit, illud sequendum est, nec oppositum licebit, siclare constat quid illicitum sit: tertio, si facta illa diligentia nihil po-

test liquidari, sed dubium manet, inspicienda est possessio, pro qua parte stat, et illam partem sequi debemus, quia tutior est, nec enim debet aliquis propter dubium spoliari jure suo, et possessione: quarto, si de ipsa possessione dubium est, quia de hoc ipso dubitari solet, pro qua parte stet possessio, in tali casu favendum est reo, et debemus uti illa regula: Cum partium jura sunt obscura favendum est reo. Ille enim censetur reus contra quem agitur, et cui imminet damnum ex actione alterius. Actor enim cum impetat, conatur reum a possessione exturbare, et crimen ei impingere. Itaque reum censendus est in hac parte, quicumque impetitur ab alio, et præjudicari, vel damnificari ab illo potest, cui enim acquiritur damnum ab alio, reus est respectu illius a quo impetitur.

XXIV. Quod si non interveniat præjudicium aliquod, et damnum tertio, ut quando præcipit prælatus alicui jejuniû, vel orationem, quod si frangatur, nullum alteri præjudicium sequitur, sed solum intervenire potest fractio præcepti, in tali casu si dubium sit, favendum est superiori præcipienti, quia in dubio obedientia prælati possidet, nisi forte dubium illud sit de ipsa prælati potestate, et jurisdictione, tunc enim se habet superior ut pars litigans, nec favet illi possessio, quia non habet eam, quousque per sententiam declaretur esse legitimum superiorem.

XXV. Quod si hi inter quos est dubium non se habeant ut actor, et reus, sed materia ipsa in se sit illiquida, et confusa, ita quod non possit discerni pro qua parte stet possessio, nec unus sit reus, alius actor, dividenda est res illa juxta qualitatem dubii inter partes, si divisibilis sit, si indivisibilis sortienda.